



44
1686, 6
7

POSITIONES
JURIS MISCELLANÆ.

QUAS

DIVINO FAVENTE NUMINE

IN ILLUSTRIS

CHRISTIAN - ALBERTINA,

PRÆSIDENTE

VIRO MAGNIFICO NOBILISSIMO ac CONSULTISSIMO

DN. BERNHARDO Schultzen/

JCTO Celeberrimo, PROCANCELLARIO,
& Antecessore primario,

DOMINO PATRONO SUO
eternum devenerando.

Publico Eruditorum examini
submitter

JOHANNES KOLTEMANN,
Lunæburgensis.

IN AUDITORIO MAIORI,

Ad diem 27. Februar. Anno 1686. horis consuetis.

KILONI,

Literis Joachimi Reumannii, Acad. Typogr.

POSTIOMES
IURIS MISCILLANEA

QMS

DIVINO RAVENTE NUMINE

IN ILLETRI

CHRISTIAN - ALBERTINA

PRASIDENTE

AND ANNO DOMINI MDCCLXXV

DR. RICHARDUS GÖTTWILD

DECTO OBSERVATO, PROCANCELLARIO

DE ALTA SCHULE DORT

BONNINO P. WIKOWO 210

Publice Examinandi

JOHANNES KOLLMEYER

Lüneburgensis

DE ANNO DOMINI

IN ALTA SCHULE DORT

KLON

Publice Examinandi





I. N. D. N. J. C.

TH. I.

Jus Canonicum multis scaterere nævis plurimisque laborare mendis operosius docet Joh. Jac. Wissenbach *in contradict. Jur. Canonici*, multisque exemplis confirmat Antonius Matthæus, ut ita, ubi rerum testimonia adsunt, verbis opus esse non videatur. Hic cum alicubi plura ejusmodi adduxisset, tandem tali concludit epiphonemate, Has sive ineptias, sive facetias num didicit Papa Romanus ab Antecessore suo Petro? Hanc quoque Juris Canonici spurcitiem non dissimulavit B. Lutherus *in Sympos. tit. 66. von Juristen pag. 403.* Das Geistliche oder Päpstliche Recht/ inquit, ist/wie alle Juristen sagen / ein Buch voller Unflats / das nach Geld stincket / Vid. Carpz. *in Epist. Dedicatoriâ jurisprud. Consist.* Unde & istud Lutheri factum, dum publicè Wittebergæ corpus juris canonici mandavit Vulcano, non adeò improbari meretur, cùm & ex hoc ipso ardentissimus ejus Zelus luce meridianâ clariùs elucescat. Fortè enim & hæc ejus fuit sententia, iis potiùs commendandum esse hoc jus,

A 2

qui

4

qui conscientiam in caput gerunt, quo abjecto & conscientia eorum simul abjicitur, uti jam longè ante eum judicavit Petrus de Ferrariis in *Pract. Papiens in formâ Respons. Rei Conventi verb. Prescript. n. 28. p. edit. Lugdun. 99.* Tantum tamen abest, cùm utile per inutile non debeat vitiari per *cap. 37. de R. J. in 6to*, ut propter hujusmodi nævos usus ejus prorsus sit tollendus, ut potius juris canonici autoritas passim in imperio sit recepta non tantùm quoad causas concernentes res spirituales & conscientiam, sed etiã causarum forensium processum & decisionem, Vultejus in *Proleg. in fin. & lib. 2. Jurisprud. Rom. c. 30. n. 94.* Non tamen hoc in totum obtinet, sed quatenus res in eo propositæ cum æquitate conveniunt nec juri divino adversantur, Matth. Stephani de *Jdict. lib. 3. cap. 1. cap. 3. n. 23.* Johann. Limn. de *jur. publ. lib. 8. cap. 8. n. 57.* Carpz. *Jurisprud. Consist. lib. 2. tit. 8. def. 152. n. 3.* Reinking. de *Regim. Secul. lib. 2. class. 2. cap. 7.* Arthur Duck de *usu & autoritate jur. civil. Rom. lib. 1. cap. 7.* Hæc æquitas in pluribus ejus articulis conspiciendam se præbet, quod & Grotius *lib. 3. de J. B. & P. cap. 12. num. 4.* canones humanitatis magistros vocans innuere videtur. Quandoquidem autem haud temerè aliquid inter jus canonicum & civile discrimen est inducendum *arg. cap. 1. X. de N. O. N.* aliquando tamen

ob

5
ob dictam causam illi præ hoc palma debetur, uti plu-
ribus videre licet apud Speckhan *in Exegesi juris Pon-*
tificii p. 235, Johannem Emericum à Rosbach, & Rit-
tershusium *in tractatu de diff. iur. civ. & canonici.*
Exemplis cùm res fiat clarior per *l. 3. §. 2. ff. de collat.*
bon., pauca quædam in scenam producemus.

TH. II.

Inter alia, quæ usucapio præsupponit requisita,
non postremum locum sibi vindicare bonam fidem
indubitati juris est *princ. J. de usucap.*, ut pote quæ
quàm maximè salvam & illæsam servare potest con-
scientiam. Certa autem ea cùm sit & firma opinio,
à possessore dubitante jactari non potest per ea, quæ
habet doctissimus Jctus Strauchius *diff. ad Jus Justin. 6.*
aph. 23., sive sermo sit de quæstione practicâ sive spe-
culativâ, Lessius *de J. & J. lib. 2. c. 6. dubit. 3.* Domin.
de Soto *de J. & J. lib. 4. q. 5. art. 4.* Molina *tom. 1.*
tract. 2. disp. 63. Et de jure civili quidem sufficit tan-
tùm ab initio adfuisse bonam fidem *l. 48. §. 1. ff. de*
A. R. D. l. 48. ff. de usurp. l. 16. de A. vel A. P., nec
mala fides superveniens nocet usucapioni ritè inchoa-
tæ per *§. 9. J. de usucap. & arg. l. 85. §. 1. ff. de R. J.*
Secus se res habet de jure Canonico. Nam sub In-
nocentio III in Concilio Lateranensi generalitèr san-
ctum sine continuâ & usque ad finem usucapionis du-

rente bonâ fide, nullam posse currere præscriptionem, ne aliàs peccatum foveatur, aut nutriatur, vid. *cap. 5. Et fin. X. de præscript. cap. 2. de R. J. in 6to*, Mevius *conf. 59. n. 14. 18. conf. 37. n. 12. conf. 66. num. 80.* Ecclesia quippe cultrix & auctrix justitiæ non patitur contra justitiam aliquid fieri in se vel in alterum, uti loquitur *cap. un. 1. feud. 13. conf. Schotan. ad tit. de Usurp. quest. 6. Fachin. cent. 1. cont. 63.* Egregio simili ex Augustini *lib. 1. de fide Et operibus*, cujus verba refert Gratianus *cap. si virgo, caus. 34. qv. 1. Et 2.*, deprompto assertum hoc illustrari potest. Quemadmodum virgo, quæ alieno marito inscia eum maritatum nubit, non potest dici adulterio se inquinasse, est enim hæc ignorantia facti alieni, quæ utique excusat *l. ult. ff. pro suo*. Ast simulac ad ejus notitiam pervenit, esse hunc virum fide maritali alteri obstrictum, & ea nihilominus rem cum eo habet, non potest eadem peccato carere. Sic & hæctenus alienam rem tenere licet, donec eam alienam esse ignoramus; Verum quando de hoc nullus ampliùs restat scrupulus, rem illam non nisi illicitâ ratione detineri canones decreverunt. Hoc ergo juris canonici effatum cûm maximâ nitatur æquitate, usu quoque fori receptum esse testantur Mynsing. *cent. 4. observ. 6. Gail. 2. observ. 18. n. 10. Et part. 1. conf. 42. Cothman. vol. 4. resp. 38. q. 1.*

TH.

7.
TH. III.

Satis appositè Giphanius, quem Sträuchius Germania Cujacium appellat, verba aulica nuda tantum pacta esse alicubi dicit. De jure civili enim ex nudo pacto actionem non nasci certum est, l. 7. §. 4. ff. de pact. & §. 5. ibid. add. l. 5. §. 2. l. 95. §. 4. ff. de solut. l. 27. C. Locat. Vinnius in tract. de pact. c. 6. Tabor in partit. Element. p. 3. sect. 3. tb. 37. Sutholt diff. 12. aph. 51. In contrariam quidem sententiam abit Mæstert de Justit. LL. Rom. lib. 1. dubit. 31., cujus tamen argumenta tanti non esse roboris, ut assensum nostrum extorquere valeant, in ipso conflictu, si ita visum fuerit, pluribus demonstrabitur. Jure vero canonum, quælibet pacta efficaciter obligare & actionem producere communis est Canonistarum sententia Felin. in c. 1. n. 5. 6. X. de pact. Panorm. & Imola ibid. Covarruv. in c. quamvis eod. in 6to. p. 2. n. 4., quam sententiam veram esse nullus dubito. In dicto cap. enim (quod sumptum ex concilio Carthaginensi) ita loquitur Antigonus Episcopus, *Aut pacta suam obtineant firmitatem, aut Conventus Ecclesiasticam sentiat disciplinam. Dixerunt universi, pax servetur, pacta custodiantur.* Idem quoque inculcatur in cap. 3. X. eod., ubi agitur de eo, qui apud Judicem convenitur, ut faciat id, ad quod pacto se obligavit. His adde
præ-

8

præsumendum esse Autores juris canonici in casu conscientia, ne peccatum foverent, secutos esse jus naturale & divinum, utroque autem illo jure pactiones quælibet firmæ sunt & Validæ, Vinnius *de pact. cap. 7.* Fallitur ergo Cujacius asserens æthiopem eos lavare, qui contendunt jure Pontificio ex quâlibet justâ conventionem etiã nudâ nasci actionem, quasi inquit, ampliùs quid diceret Pontifex, quàm dicit Prætor in *l. 7. §. 7. ff. de pact.* Confer Grotius *lib. 2. de J. B. & P. cap. XI. n. 4.* Parladorius *lib. 2. rer. quotid. cap. 3. à num. 17. usque ad num. 55.* Wesenb. *ad tit. de pact. num. 10.* Gudelin. *lib. 3. de Jure Noviss.* Schotanus *ad tit. de pact. quest. 27.* Brunnem. *cent. 2. decis. 76.* Græven *Ex. 3. th. 5. in fin.* Carpzov. *J. F. R. S. p. 2. c. 19. d. 17.* Mev. *p. 5. dec. 408. & cons. 53. n. 77. & seqq.* qui juris hujus tenorem praxin quoque amplecti unanimi ferè ore fatentur.

TH. IV.

An filius familias fideicommissio gravatus possit detrahere duplicem quartam legitimam & Trebellianicam, Regiomonti sub umbone Excellentissimi Domini D. Rangeri Patroni mei æstimatissimi feliciter discussi. Et tùm quidem quæstionem hanc secundum normam legum Justinianearum propter *l. 6. Cod. ad Scm. Trebellian. l. 30. C. de Inoff. Testam. & l. 21. §. 2. ff. de*

9
ff. de ann. legat. negativè decisam modò de jure cano-
nico affirmativè decido suffultus autoritate *c. Rainutius*
Et c. Raynaldus X de testamentis. Scilicet uti multa,
ita & hoc in favorem liberorum constitutum videtur,
ne hi temerè istis defraudarentur bonis, quorum vivo
adhuc Patre jam tùm quodammodo Domini existi-
mantur per *§. 2. J. de Hered. qual. Et diff. l. 11. ff. de*
lib. Et postb. hered. Et arg. l. ult. C. de Impub. Et aliis
substit. Hinc & nemini admirationem injicere potest
jushoc per totum mundum receptum esse, & tanquam
Evangelium praticari, uti testantur Bald. & Jas. *in*
Auth. res qua C. commun. de legat. Christin. Vol. 1. de-
cis. 245. Et decis. 315. Vinnius in Comment. Inst. ad Tit.
de Fideic. Hered. ad §. 7. n. 3. & Brunnem. cent. 3. de-
cis. 36.

TH. V.

Cum fides mortalium maximè anceps sit & dubia,
eò res devenit, ut testi injurato fides non habeatur per
l. 9. C. de Testib. Et cap. 5. X. eod., hujus quippe testimo-
nium sine juramento est nullum, omnique prorsus fi-
de destituitur, ceu fusiùs tradit Oldendorp *c. 5. de testib.*
n. 2. Et 3. Imò in tantum vera est hæc regula, ut nec
Judicis autoritas hunc defectum supplere possit, cùm
nec hic, si adversa pars repugnat, juramentum remit-
tere valeat per *cap. 48. X. de testib.* & decisionem Im-

B

pe-

peratoris Justiniani in l. 19. C. eod. cum quâ consentit Jus Lubecense lib. 5. tit. 7. art. XI. ibique Mevius. Contra tamen & nonnullis in casibus eadem suos patitur manes, id quod latius explicat Socinus in *fallentiis* & *limitat. ad Reg. 424.*, in specie vero in possessorio summarissimo. In hoc enim nec processu judiciario opus est, Gailius lib. 1. obs. 7. n. 2. Mev. p. 2. decis. 238., nec appellationes interponuntur, Vid. *Constit. Lubec. vom Nieder-Gast und Appellation-Gericht art. 10.* Gailius loco citato num. 7. Andr. Rauchbar *quest. 6. n. 75.*, nisi in casibus, quos refert Mev. p. 9. decis. 14., nec jurata testium depositio præcisè requiritur juxta tradita Menochii, Cothmanni & aliorum, quos refert Carpzov. in *Disp. Jurid. de Inhibit. Curiar. provincialium th. 47.* Quod si tamen unius testis depositioni, quod regularitè non fit per *Dent. cap. 17. vers. 6. & c. 19. vers. 25. l. 12. ff. & l. 9. §. 1. C. de testib.*, fides est habenda, eidem juramentum quoque planè remitti absurdum foret, cum secundum jura duo singularia in uno eodemque subjecto concurrere non debeant, Vid. Carpz. *dict. disp. th. 47. n. 62. & seqq. & Magnus Dominus Praeses in disp. sub ejus presidio habita de possessorio summarissimo th. 25.*

TH. VI.

Quæstio nova non est, sed jam dudum à Dd. ventilata-

tilata, An Pastores & Ministri Ecclesiae testes producti jurato deponere debeant, & ad praestationem jurisjurandi teneantur. Facultas Theologica Jenensis a juramento eos exemptos voluit, ut videre est apud Dedenium *vol. 1. consil. Theol. part. 3. memb. 4. sect. 4. Rubric vom Heiligen Predigampt pag. 895. num. 25.* quam sententiam probat Frieder. Balcan. Profess. Witteberg. *in tract. de casib. conscientiae lib. 2. cap. 9. Cas. 5. pag. 229.* Alii vero affirmantium opinioni nullam rationem subesse arbitrantur, quae pro exemptione Clericorum a praestatione juramenti sit sufficiens, cum & Dominus Suchsen Consul hujus Civitatis meritissimus *in tract. de Solemnib. appellat. cap. 3. sect. 1. n. 95.* Sacerdotes a juramento calumniae non esse immunes statuat. Vid. Virgil. Pingitz. *q. 35.*, qui multis probat, Clericos quoque ad juratam testimonii depositionem esse adigendos. Quod & placet Matth. Colero *part. 1. decis. 211.* ubi a Wittebergensibus Anno 1578! die 8. Jun. contra Superintendentem Slesvicensem pronunciatum refert, *add. p. 2. decis. 241.* Hanc sententiam etiam validis rationibus confirmat Finckelth. *lib. 4. obs. 95.*, quia tota depositionis testium substantia, ut dictis eorum credatur, in juramento consistit, Gail. *lib. 1. obs. 101. n. 1.* Coler. *decis. 241. n. 7.* Carpz. *J. F. R. S. p. 1. c. 16. def. 31. n. 2.* Hinc dicit Hippolit. de Marsil. *singul. 214. n. 4.*

B 2

Nec

Nec Papam dispensare posse ne testis in ferendo testimonio juret. Sic Dominus Hahnus ad Wesenb. *ad tit. de testib. n. 5.* in collegio Facultatis Academiae Juliae anno 1647. d. 27. Octobr. responsum refert, *Beilen die Clerici des juramenti testium, da es von ihnen erfordert/sich nicht eistbrechen mögen* *text. in c. nuper nobis de testib. § attest.*, so seind die Pfarrherren in actis bemeldten Zeugen Eyde zumahl auff Ihr Fürstl. Orl. an Euch gnädigst auffgetragene Commission, da wieder beschehenes einwenden ungehindert würcklich abzuleisten schuldig / und in weiter verspührter Widerspenstigkeit durch rechtliche Mittel dazu zu compelliren und anzuhalten / *B. R. W.* Et hoc quidem regularitèr ita se habet, accidit nihilominus quandoque, ut pro ratione personarum & circumstantiarum vel remittendum vel temperandum sit juramentum, ut deponant sub juramento Ecclesiae præstito, si ratio justa & sufficiens hujus moderationis adsit, uti Scabini Lipsienses anno 1642. responderunt. Causa enim, de quâ controversia mota, (1) erat matrimonialis, & proinde Ecclesiastica (2) jam deposuerant Clerici sub illo juramento, quod Deo, Principi, Senatui, Magistratui & toti populo officium suscipientes solennitèr præstiterant, quod si non fortius, æquale tamen juramento testium censetur (3) facta erat depositio à Clericis injurata in præsentia partium hanc

con-

contradicientium, quippe quæ in depositionem summariam consensisse videntur *Carpz. Iprud. Consist. lib. 3. tit. 2. d. 23. n. 9. & decis. 77. n. 18. & seqq. Mev. decis. 265. n. 9.* (4) articuli probatoriales, ad quos jurata depositio exigebatur à Clericis, prorsus erant impertinentes. Non enim præstari debet juramentum, quod præstitum nihil probat *Carpz. d. decis. 77. n. 22. & seqq. & Jurispr. Consist. lib. 3. tit. 2. def. 26.*

TH. VII.

Fieri potest, ut in causâ criminali sacerdos ad testimonium perhibendum contra reum productus ex confessione auriculari rem perspectam habeat, quæritur ergò, An de crimine commisso à Magistratu interrogatus confessionem sibi factam manifestare teneatur? Respondendum minimè, quæ enim in confessione ministro Ecclesiæ quasi in aurem dicuntur, instar arcanissimi depositi sunt habenda, fit enim confessio non homini, sed Deo. Vid. *Gail. lib. 1. obs. 100. n. 8. Mynsing. cent. 5. obs. 41. n. 4.* per textus juris canonici clarissimos *can. Sacerdos 2. de pœnit. dist. 6. cap. si sacerdos X. de off. Judic. ordin. cap. dilectus 13. X. de Excess. pralator. cap. omnis 12. X. de pœnit.* ubi habetur, quod Sacerdos nihil eorum, quæ sibi à confitente concredita sunt, revelare debeat, & si hoc fecerit, tanquam ignominiosus sit deponendus *Frieder. Balduin. de Casib. Conscient. lib. 4. cap.*

10. cas. 7. Hanc sententiam probat quoque B. Lutherus in colloq. German. cap. 14. in tom. Jenensi, ibi, Sie hat mir nichts gebeicht / sondern dem HErrren Christo / und weilen es Christus heimlich hält / so sol ichs auch heimlich halten / und stracks sagen / ich habe nichts gehöret / hat Christus was gehöret / so saget ers. Et paulò post, Ist sie absolviret, da weiß ich D. Martinus nichts umb / sondern Christus weiß es / mit welchen sie geredet / dann ich höre nicht die Beichte / absolvire auch nicht / sondern Christus. Carpz. J. F. R. S. p. 1. c. 16. d. 70. & Sprud. Consist. lib. 3. tit. 2. d. 25. In hoc iudicio Lutheri se fundat Christian. Avianus in Consilio, ob auch ein Pfarrer Zeugniß geben möge von dem / was er in der Beichte gehöret / Georg. Dedeken vol. 1. consil. Theol. part. 3. sect. 3. n. 52..

TH. VIII.

Non sunt improbandæ nuptiæ virorum Nobilium cum plebejis fœminis contractæ, quibus nec soboli suæ nobilitatis florem subtrahunt. Licet enim nobilitas paterna cum maternâ in progenie fiat splendidior, & omnibus numeris absoluta, attamen per solum etiã parentem nobilitas in filios propagatur, ex matre licet ignobili progenitos, quia filius non matris, sed Patris conditionem sibi propriam facit Brunnem. ad l. 9. ff. de Stat. Hom. Fœmina sequitur conditionem mariti, & ita

ita etiã ex Mariti nobilitate nobilis censetur, licet ignobilis nata sit *Carpz. in Jprud. consist. lib. 2. tit. 17. d. 270. n. 6.* Quare & liberi ex tali matrimonio nati sunt verè Nobiles, & in feudis succedunt, *Carpz. Jurisprud. Consist. lib. 2. tit. 1. defin. XI.* *Sixtin. in Consil. Marpurg. lib. 2. cons. 9.* *Vultejus lib. 3. cons. 17. n. 46. & seqq.* *Reinking. de regim. secul. lib. 1. class. 5. c. 11. n. 23.* *Brunnem. ad l. 8. ff. de Senator.* *Carpz. de juribus fœminar. singularibus positione 4.* Vid. *Salmuth. in responso juris pro matrimonio Principis cum virgine Nobili.*

TH. IX.

Cum juxta *Aristotelem 4. Eth. 7.* mendacium per se malũ, turpe & vituperabile sit, justitia sanè, ne illud quis impunè auferat præcavebit. Hinc in jure canonico, in jure feudali quoque, vasallus enim sciens & dolo malo se vasallum negans feudo cadit *2. feud. 26. §. 3.*, in primis autem in jure civili multa in terrorem mendacii sunt constituta. Hoc enim cum spe præmiorum & formidine pœnarum bonos facere allaboret per *l. 1. §. 1. ff. de J. & J.*, plura etiã ad veritatis amorem conciliandum, mendaciique odium excitandum introduxit. Sic qui per mendacium aliquid postulavit, vel impetravit, careat penitè impetratis, & improbitas ejus severitati subjaceat judicantis; ita volentibus Imperatoribus *Theodosio & Valentiniano in l. 5. C. si contra jus vel utilitatem,*

tatem, add. l. fin. C. de divers. pragmat. Is, qui quadru-
 pedem pauperiem dantem suam esse falsò negat, postea
 mendacii convictus in solidum tenetur, cum antea no-
 xæ deditioe esset liberatus, *per l. 1. §. 15. ff. si quadr.*
ibique Brunn. Ioh. Thoma in tract. de noxâ animal. c.
12. n. 20. & seqq. Fidejussor quoque, qui se fidejussisse
 negat, beneficia de jure aliàs ipsi concessa sibi applica-
 re non potest *per l. 10. §. 1. de Fideiuss.*, cum enim con-
 tra leges commiserit, frustrâ earundem auxilium in-
 plorat *l. 37. ff. de Minor.* Porrò calumniosè inficians eâ
 pœnâ afficitur, ut postea ad alterius exceptionis auxi-
 lium confugere non possit; Hinc non licet propriam
 scripturam abneganti, vel numerationem pecuniæ in-
 ficianti ad exceptionem solutionis regredi *per Auth.*
Contra qui propriam C. de non num. pec. Nec licitum
 est à testatore relictum neganti deinde de testamento
 minus ritè factò excipere *per §. ult. l. de fidec. hered.* cu-
 jus fons est *in l. ult. C. de Fidecomm.*, ubi & huic lucrum
 hereditatis adimendum esse Imperator Justinianus con-
 stituit. Imò & tutor alimenta pupillo non sufficere
 per mendacium dicens ad Præfectum urbi puniendus
 remitti debet *per §. 10. l. de susp. tutor. l. 3. §. 15. ff. eod.*
 & certis in casibus lis inficiando crescere dicitur, uti pa-
 tet *ex §. 7. l. de obl. q. quasi ex contr. §. 17. 23. & 26. l.*
de Act. ibique Vinn. Sed quid multa? Dolus cum in-
 jure

jure à poenâ non sit immunis, in fallendi autem voluntate ipso Augustino teste, quem citat Grotius lib. 3. de J. B. & P. cap. 1. n. XI., mendacii natura sit constituta, & huic hoc jure poenam esse præfinitam nemo, qui paulò circumspectiùs rem perpendet, inficias ire audebit. Unde miror Guilielmum Grotium statuere leges civiles & hâc in parte connivere, neque poenas ulli mendacio imponere, quæ ejus verba sunt in Enchirid. de princ. jur. natur. cap. 14. n. 8. in fin., cum tamen hæc, quæ adducta, & alia, quæ adduci adhuc poterant, contrarium luculentèr satis evincant. Conf. de poen. mendacior. Barbosa locupl. lib. 11. c. 22. Axiom. 5. Oddus de restit. q. 24. Gailius lib. 1. obs. 14. Vultejus in consil. Marp. vol. 3. cons. 35. n. 177. & seqq. Schotanus ad tit. ad l. Aquil. quest. 34. & 35. ad tit. de R. C. quest. 35. ad tit. de Cond. Indeb. qv. 11.

TH. X.

Lis aliquando fuit mota de tutelâ Electorali, an ea legitima tantùm sit, nec testamentaria esse possit? Cautum est à Carolo IV. Imperatore cap. 2. §. 1. Aureæ Bullæ, ut legitimus, hoc est, ad quem lex tutelam devolvit, Electoris impuberis tutelam suscipiat, exclusâ testamentariâ. Licet enim jure civili quàm diu speratur testamentaria tutela, cesser legitima l. 11. pr. ff. de testam. tut. l. 9. §. 1. de tut. & rat. distrab. Sicut & in deferen-

C

dâ

dâ hereditate potior causa est heredum ex testamento quàm ab intestato *l. 39. de acq. hered. l. 89. de R. I. & vulgò dici solet, provisio hominis facit cessare provisionem legis per. l. ult. C. de pact.* Verum aliter est constitutum de tutelâ Electorali ab Imperatore in Aureâ Bullâ, præviâ deliberatione Electorum & reliquorum statuum imperii. Vid. Capitul. Car. V. apud Goldastum *part. 2. der Reichshandlung / sub anno 1519. & c. & Capitul. Rudolphi II. S. Wir sollen und wollen.* Add. Zeschlin. *in vindic. tutelar. cap. 6. n. 118. p. 285.* Limnæus *de iure publ. lib. 1. cap. XI. n. 103. & seqq.* Sinold Schutz *disp. 7. tb. 16. Arum discurs. 4. concl. 10.* Rosenthal *de feud. cap. 12. concl. 10. n. 19.* Hâc ratione irrita visa fuit dispositio Friederici IV. Electoris Palatini, quâ Anno 1410 Tutelam testamento detulit Joh. Bipontano, excluso Philippo Ludovico Palatino Neoburgensi, cujus causam egregiè defendebant ejusdem consilarii, vid. Friderich Zeschlin. *in tract. singulari.* Non vero sunt audiendi illi, qui ad exemplum Electorum tutelam legitimam inter Principes & Status imperii paternam dispositionem auferre non posse tradunt, sicuti inter Principes Megapolitanos disceptatum fuit. Hic vero tutor testamento datus adhuc confirmatione Cameræ imperialis opus habet, Vid. Nicol. Bet. *de pact. famil. illustr. pag. 234. & seqq.*

TH.

Apud Romanos turpe atq; impudens habitum fuit de hereditate viventis sollicitum esse, ob eamque causam pactiones de viventis hereditate obtinenda legibus nostris improbatæ, *l. 15. l. 30. C. de pact. l. 5. C. de pact. com. tam sup. dot. l. 4. C. de inutil. stip.*, in tantum ut nec pœna in contrarium promissa peti possit, *l. 61. ff. de V. O.* Et hoc constitutum est (1) ne turbetur ordo publicus, quo hereditates deferuntur, non deferuntur autem nisi testamento & lege *d. l. 5. de pact. convent. Sc. l. ult. de suis & legit. S. ult. per quas pers. cuique acq.* (2) huiusmodi pactio tollit aut constringit libertatem testandi, quod leges nostræ aversantur *l. 1. C. de SS. Eccl. l. 32. ff. de Hered. Inst.*, uti hoc præjudiciis confirmat *Dn. Richter p. 1. decis. 26. n. 3. & seqq.* (3.) est contra bonos mores, ut pote quæ votum inducit captandæ mortis alienæ *d. l. 61. l. II. C. de transact. Vinnius de pact. cap. 19.* Plures rationes affert *Hartmann Pist. lib. 4. qv. 1. n. 2. & seqq.* Valet tamen hoc pactum, si consentiat is, de cuius successione quæritur, & si in eo consensu ad extremum vitæ spiritum perseveret *l. 30. C. de pact. in verb. sublatâ acerbissima spe, Carpz. J. F. R. S. p. 2. c. 35. d. 18. 19.* Cum eadem rationes & in pactis reciprocis de successione mutuâ militent, ne hæc quidem jure nostro rata esse defendit *Gædd. tract. de-*

contrab. & committ. stipul. c. 6. concl. 7. n. 82., quod
 perspicuè elucet *ex l. 19. C. de pact.*, ubi tamen mili-
 tum ad discrimen prælii pergentium mutua de succe-
 dendo pacta excipiuntur, quod tanquam jus singula-
 re ad consequentias trahi non debet. Hoc autem
 in casu pacta commilitonum non valent in vim pacti,
 sed in vim ultimæ voluntatis reciproçæ institutionis,
 ut pro arbitrio paciscentium revocari possint *Richter*
ad l. 19. C. de pact. & p. 1. d. 26. & 38. Carpz. J. F.
R. S. p. 1. c. 35. d. 20. Jure feudali potest Dominus
 feudi alicui promittere feudum, quod vocari solet,
 expectativa, Germ. *eine Anwartsung auff eines an-
 dern Lehen* / quæ est jus succedendi in feudum à Do-
 mino sub conditione, si ad ipsum redierit, etiã sine
 consensu vasalli possidentis promissum *1. F. 3. 2. F. 26.*
§. 2. Gail. lib. 2. obs. 155. n. 2. Dn. Struve Syntagm. Jur.
Feud. cap. 7. tb. 4. & seqq. Vultejus de Feudis lib. 1. cap.
7. n. 47. & seqq. In Germaniã valent pacta ut vocant
 confraternitatis de mutuâ successione inter Principes &
 alias illustres personas accedente Imperatoris confir-
 matione, in hunc scopum, ut unã familiã extinctã al-
 teri bona & principatus ejus certã successionis lege de-
 ferantur *Gail. lib. 1. obs. 127. Uldaric. Zas. 2. cons. 1. n.*
4. & seqq. Carpzov. in volum. disput. de Pacto Con-
fratern. Saxonico Hassiacæ cap. 3., ubi multis argu-
 men-

mentis & exemplis evincit tale pactum subsistere,
quemadmodum etiã judicat *Reinking de regim. se-*
cul. lib. 1. class. 4. cap. 18.

TH. XII.

Feudum amittitur propter feloniam in ipsius Do-
mini personam directò & immediatè commissam, per
consequentiam & in Dominum illa committitur,
quando personis potestati ejus subjectis injuria infer-
tur. Nam injuriam quis patitur non solum per se-
metipsum, sed etiã per liberos suos, quos in pote-
state habet, item per uxorem suam, *S. 2. Inst. de in-*
jur. l. 1. S. ult. l. Non solum 11. S. quanquam 7. l. 18. S.
2. ff. eod. Proinde vasallus Dominum cucurbitans,
hoc est cum Domini uxore concumbens feudum a-
mittit, *tit. 5. S. item si fidelis, tit. 21. S. fin. lib. 1. F.*
Et hæc culpa illis locis est expressa in Uxore Domini,
non tantum, si adulterium cum eã perfecerit vasallus
verum etiã, si id duntaxat attentaverit, *dict. tit. 5.*
quæ attentatio variis modis fieri potest, *vid. l. 15. S. 15.*
Et seqq. ff. de Injur. Vulceius de feud. lib. 1. cap. 11.
num. 31. Borcholt. de feud. cap. 8. num. 91. Quod
de uxore dictum est, idem etiã ad sponsam exten-
dendum *arg. l. 13. S. 3. ff. ad l. Jul. de Adult. ibique*
Brunnem. num. 7. l. 9. C. eod. l. 15. S. 24. ff. de injur.

C 3

Quã

Quâ parte jus civile divinis legibus laudabiliter suffragatur, *Deut. 22. v. 23., & Hosea 4. v. 13.* dicit Deus, *Filia vestra fornicabuntur & sponsa vestra adulteræ erunt.* Quem locum Hieronymus in *C. quapropter 27. quest. 1.* exponens ait, *Notandum est, quod in filiabus dicit fornicationem futuram, in conjugibus adulterium, que sponsali conventionem initiantur, & commistione corporum perficiuntur.* Sunt igitur secundum Hieronymum Sponsæ quasi initiatæ conjuges, quas qui violat, conjugium ipsum violasse merito iudicatur, *Anton. Matthæi de criminib. pag. 400. & seq. Carpzov. pract. crim. part. 2. q. 56.* Quid de viduâ Domini, utrum idem dicendum? Plerique statuunt non minus feudo privari vasallum, qui cum illâ rem habuit, quàm si cum uxore aut sponsâ senioris concubuerit, vidua enim honorem & dignitatem, & privilegia Mariti retinet, *l. 8. ff. de Senator. l. 22. §. vidua. ff. ad Municipal.* Sed magis placet sententia negantium per *tit. 21. §. si quis lib. 1. F. Vultei d. c. 11. n. 31. pag. 697. Carpz. de mod. & caus. amittendi feudum th. 18. 19.,* nisi fiat intra annum luctus, quia tunc maximè in injuriam Domini videtur vergere, *Add. l. 11. §. 1. de His, qui not. infam. Dominus Struve Syntagm. Jur. Feud. cap. 15. th. 9. in fin. Borch. de feud. cap. 8. n. 97.* Nec excusatur talis vasallus nequam, licet Domina

mina vel sponsa in turpe istiusmodi factum consense-
 rit. Quamvis enim volenti & consentienti nulla fit
 injuria *Arist. 5. Eth. 9. & 11. & cap. 27. de R. J. in 6to*, fit
 tamen Domino, ut pote cuius maximum hâc in re
 vertitur præjudicium, *arg. l. un. C. de Rapt virg. add.*
Schnobel disp. feud. 10. Th. 13. Quod si vero & hic a-
 deò sit excors, talem enim fungum pro cerebro & pe-
 ponem pro corde habere oportet, ut sibi non invito
 cornua imponi patiatur, valallumque admittat capri-
 ficum, tum is quidem legitimo suo juri renunciavit,
 nihil tamen obstat, quò minus Magistratus ex officio
 delictum illud persequi possit, cuius quippe sem-
 pitemnum hoc debet esse symbolum

FIAT JUSTITIA.



HAud frustra Prussos doctos,
 KOLIMANNE, petisti.
 Multiplici fructu non caret illud
 iter.

Te-

345.
Testis erit locuples Tua disquisitio præ-
fens,
Nostræ pons cathedræ (sat scio) te-
stis erit,
Gratulor ex animo: gratatur Cimbria,
amice,
Serta Tuo capiti noster Apollo pa-
rat.

*Cl. Dn. Candidato, Amico singulariter
dilecto & honorando, cum arden-
tissimo omnigenæ prosperitatis vo-
to scr.*

CHRISTIANUS Kortholt/
S. Theol. D. & Prof. Prim. Acad. h. t. ProRector.



Königsberg, Piss., 1686-94

ULB Halle 3
004 356 780




R
H.

WMA







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

IONES
CELLANÆ.

44
1686, 6

AS
NTE NUMINE
STRI
ALBERTINA,

7

ENTE
SSIMO ac CONSULTISSIMO
RDO Schultzen/
ROCELLARIO,

re primario,
TRONO SUO
venerando.

orum examini
ittet
OLTEMANN,
rgensis.

IO MAIORI,
anno 1686. horis consuetis.

ONI,
manni, Acad. Typogr.